



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. I. De possibilitate assumptionis vnius creaturæ ab alia vel à Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



CONTROVERSIÆ.
 DE DEO INCARNATO, SIVE DE DIVINI
 Verbi Incarnatione.

NCARI ausu, vti nam non exemplo, inaccessum Trinitatis mysterium mens hæcæus aduolauit cumque Spiritum nec dum resumpisset anihela eodem vtilitatis vestræ amore (quæ præcipua ingenioli nostri portio est) Incarnati Verbi Mysterium scandere cogitur. Eius precor, Spiritu, ad eiusque vmbra discursus respiret, qui Viuens æternus halitus in Trinitate est, qui que Deiparæ ad mysterium tantam obumbravit. Illo igitur fauente Spiritu sic difficultates, quæ in re tanta occurrunt, discutiam, vt generatim eas in septem controuersias distribuam. Prima existentiam Incarnationis examinabit. Secunda eius necessitatem. Tertia illius causas. Quarta intrinsecos effectus à verbo vnito cum Christi humanitati, tum toti composito Christo Domino præstitos meditabitur. Quinta physicas perfectiones Christi humanitati vnionis titulo collatas edisseret. Sexta honorarias Christi, qua hominis, dignitates expendet. Septima demum circa modos loquendi in hac materia verlabitur.



QVÆSTIO I.

De possibilitate assumptionis vnionis creaturæ ab alia, vel à Deo.

AXIOREM posui quæstionis titulum, quam res præfens postulabat, vt simul quæstiones plures præfenti affines profligarem. Incarnatio enim carnis assumptio est, in reque præfenti à Deo verbo; titulus autem, non de carne solum à Deo verbo assumenda, sed de creaturis omnibus à quavis Persona diuina, & à deitate ipsa, imò à creatura alia, an assumi queant inquiritur. Ex cuius decisione constabit quid de assumptione creaturæ à subsistentia communi dicendum esset, nisi subsistentia eiusmodi chymerica foret iuxta dicta d. 7. de Trinitate.



CERTAMEN I.

Substantia creata queuis assumi potest ad vnionem hypostaticam cum quauis, vel pluribus Personis, siue increatis, siue creatis.


CONTROVERSIÆ I.

De Incarnatione, de Existentiâ, causisque Incarnationis.

NE difficultates confundamus, sic controuersia huius disputaciones ordinabo: vt primùm de Incarnationis existentia disputem: vbi in primis ipsius possibilitatem statuam: deinde eius existentiam contra gentes euincam. Tertio per eam contra Iudæos, aduentum Messie mundo contigisse probabo quarto mysterium ipsum ab aliorum hæreticorum delirijs vindicabo. Disputabo secundo de iis, quæ Verbum assumpsit, ordinæque, & modo ea assumendi. Disputabo tertio de qualitatibus humanitatis assumptæ.


DISPUTATIO I.

De Incarnationis existentia.

INCARNATIONIS existentia possibilitatem ipsius logicè, ac metaphysicè supponit prioritate maioris vniuersalitatis, quam dicunt: quare possibilitate Incarnationis non adferra, atque fundata eius existentia firmo, vt aiunt, pede stare nequibit. Primò ergo incarnationis possibilitas statuenda est. Deinde eius existentia contra gentium, Iudæorum & hæreticorum errores demonstranda.

POrphyrus, Iulianus, Carpocrates, Cherintus, Ebion, quidamque Basil. apud Irenæum lib. r. c. 24. & apud Tertullian. de præscriptionibus circa fin. vt Verbi Incarnationem, siue vnionem hypostaticam ad humanitatem liberius negarent creaturæ cuiusuis assumptionem ad hypostaticam vnionem cum Deo impossibilem affirmabant. Theodotiani apud Epiphani. hæref. 54. & apud Aug. hæref. 44. & 45. Paulus Samosatren Photin. & Artemon. apud eundem proximè, & apud Epiphani. hæref. 55. carnis assumptionem à Deo prædicabant impossibilem. Triplicem repugnantiam notarunt hæretici. Primam ex Dei immutabilitate positam, vnione enim ipsius ad creaturam, creaturæque ad ipsum mutatum ire Deum clamabant. Constat autem q. 2. vnione hypostatica humanitatis ad verbum non mutari Verbum in suæ immutabilitatis præiudicium. Secunda repugnantia ex indistinctione omnimoda substantiæ indiuiduæ à supposito. Non probat non posse assumi gatur. creat. sed debere in assumpt. in proprio etiã supposito perseverare, quod est cum Nestor. impugnando q. 2. errare, vbi, & ex dictis d. proce. satis constat, neque id probari. Tertia repugnantia defumitur ex infinita distantia, & improportione inter Deum, & creaturam, quæ proinde est insuperabilis: cum tamen ad vnionem proportio inter extrema vnienda requiratur: quare, & supponitur necessariò improportio superata. Sed enim distantia, & improportio inter Deum, & creaturam insuperabilis entitativa est, quæ, vt aliqua vniantur, superari non debet, vt patet in materia, & formâ, siue rationali, & spirituali, siue irrationali, & materiali.

Non

Non est autem importio-capacitatis, in qua sola proportio extremorum ad vnionem requiritur, inter Deum, & creaturam, neque ostenditur ab hæreticis, nisi aliud medium assumant. Etenim capacitas hæc est posse extrema vniri: quare incapacitas opposita est non posse vniri, quæ est ipsissima hæreticorum conclusio, non medium contra nostram conclusionem iam dandam.

2 Dico primo. Natura quæuis rationalis assumi à Deo hypostaticè potest. Commonis Theologorum omnium conclusio, si Albertum excipias, qui eam quoad naturam angelicam negasse in 3. d. 2. art. 2. refertur à Soan. de Incarnat. d. 14. lect. 2. & à Becano c. 5. q. 3. De humana natura probant assumi posse, quæ 2. q. assumptam à verbo de fide probabunt. Inde autem satis probatur possibilitas assumptionis naturæ angelicæ: cum nulla in hac appareat repugnantia, ac difficultas, quæ non in illa. Sed de natura angelica probat aperte locus Pauli ad Hæbr. 2. n. 16. *Nisquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahe apprehendit.* vbi, cum speciali Dei erga homines beneuolentiæ tribuat, quod humanam, præ angelica natura, susceperit, supponit potuisse angelicam suscipere. Etenim, si eam assumere non posset, nostræ ad assumptionem præelectio non esset æstimari- uè, ut præelectio, non deberet, licet esset electio æstimabilis, sicut neque æstimabilis Dei præelectio est, quod nos rationales condiderit, non verò equos fecerit rationales: quia, quamuis equos præ nobis adamaret, rationales illos facere non posset. Denique à priori probatur. Quia in assumptione naturæ rationalis cuiusuis ad vnionem hypostaticam cum Deo nulla apparet repugnantia maximè in nostris principiis quid enim prohibet Deum producere naturam rationalem quamuis dependentem in sui existentia ab vnione ad se ipsum? Afferantur repugnantia præter iam cicuratas, ut eam complanatione antecedentis veritas illustretur: ergo quæuis natura rationali, assumi à Deo potest. Quod contra naturæ angelicæ assumptionem afferri potest ex S. Thom. 1. p. q. 3. ad 3. & 4. contra gent. c. 55. ad 4. (nimium naturam angelicam à supposito non differre: quare nec magis esse posse cum substantia aliena, & consequenter in nostris principiis sine propria, quam sine se ipsa) constat falso referri. S. Thom. ut vidimus d. procem. q. 2. cert. 5. n. 2. Dices ergo Persona Angeli poterit corrumpi, cum tamen incorruptibilis sit. Distinguo *corruptum* vi agentium naturalium, atque ut opponitur annihilationi nego *destrui* fateor. Destruetur enim negatio dependentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud, per positium dependentiæ in sui existentia ab vnione ad Deum, ut citato loco aiebat S. Thom.

3 Dico secundò. Natura quæuis substantialis, etiam irrationalis, potest assumi ad vnionem hypostaticam cum Deo. Docuit peruestus Tertullian. 4. contra Marcion. Nyssenus orat. Catechet. c. 27. S. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. vbi Caiet. Medin. Aluar. reliquique Thomistæ, Scot. in 3. d. 2. q. 1. §. *Ad secundum argumentum*, Masl. q. 3. art. 1. OKam. q. 1. art. 3. ad 9. reliquique Scotistæ, Durand. q. 1. vbi Capreol. art. 1. concl. 1. Almain. d. 1. q. 2. Vasq. d. 30. c. 2. Becan. c. 5. q. 3. n. 3. referens Paludan. Bernal. d. 24. lect. 1. n. 3. Gasp. Hurtad. Perez, & vulgus Recentiorum Huic tamen conclusioni directè aduersantur Vviteless. apud Vvaldenf. tom. 1. c. 44. Vvadingo d. 4. de Incarnat. dub. 8. post med. §. *dices ex ista conclus.* Petrus Hurtado d. 1. de 2. sima lect. 6. d. 43. de Incarnat. lect. 2. afferentes nullam naturam irrationalem assumi posse ad vnionem cum Deo. Origen. verò Periarchon. c. 6. Henric. Quodlibet. 13. q. 5. Alex. 3. p. q. 2. m. 7. q. 11. m. 1. q. 12. m. 1. art. 1. S. Bonauent. in 3. d. 2. art. 1. q. 1. Ricard. quæst. 4. Gabr. d. 1. q. 2. art. 1. & 2. Picus Mirandul. Apologia pro 4. proposit. non adeo directè nostræ conclusioni aduersantur. Aiunt enim: licet natura irrationalis per se, & secundum se non sit à Deo assumptibilis, posse verò assumi à Deo ratione respectus, quem dicat ad substantiam rationalem. Id quod addiderunt, ne verbi vnionem ad cadaver in triduo mortis negare cogantur. Satius autem esset

capacitatem substantiæ irrationalibus, ut hypostaticè Deo vniantur, asserere ob dogma de vnione verbi ad cadaver, quam respectum illum ad substantiam rationalem in irrationalibus requirere, ut Deo vniri possint. Etenim cadaver nullum respectum realem ad hominem dicit, qui præcessit, ac petiit, nisi rationis tantum: ex parte autem rationis nescio, imò neque ipsi sciunt, quomodo realis capacitæ ad vnionem substantiæ cadaveris possit accrescere.

4 Nostra verò conclusio præter Irenæi, Tertulliani, & S. Thom. auctoritatem probatur ex Aug. cap. 16. de vera, & falsa religion. vbi de verbi aduentu habet. *Terat, & in aliquo aethereo corpore venire ad nostrorum adiutorium tolerantiam temperato.* Nempe, sicut venit in carne: quare non apparenter, & corporis specie, sed verò corpore per physicam vnionem assumpto, quemadmodum venit in carne. Ratione probatur. Quia in nulla opinione inuenitur assumptionis naturæ irrationalis ad vnionem cum Deo repugnantia. Maximè in nostræ de substantiæ essentia. Quid enim prohibet irrationalem substantiam produci, existentiamque recipere dependentem ab vnione ad Personam diuinam? Sed inquit. Implicat aliquid vniri formæ, seu termino, cuius effectus formalis primarij incapax est: atqui substantia irrationalis incapax est effectus formalis primarij Personæ diuinæ, v.g. Verbi: neque enim constitui posset Persona, neque sancta, neque filia naturalis Dei, ut patet: ergo implicat substantiam irrationalem vniri Personæ diuinæ. Sed negatur minor. Neque enim constituere substantiam sibi vnitam sanctam, personam, filiamque naturalem Dei sunt effectus formales primarij. Atque vniversim effectus formalis primarij non præstatur à forma materiæ, vel subiecto, sed toto compositio, quod ex viroque resultat: licet quandoque secundario nonnulla denominationes materiæ, si capax earum sit à forma, cui vnitur, proueniant. Cum ergo natura irrationalis vnita diuino supposito totum quoddam vnium componat ad quod constituentem de suo contrahat etiam suppositum diuinum, effectus formalis primarij suppositi diuini obtinetur: atque insuper aliquis effectus formalis secundarij, cuius natura irrationalis est incapax. Redditur enim suppositata, constituitque suppositum, licet non Personam, quia hæc dicit ex parte subiecti rationalem naturam. Dices: ergo erunt natura irrationalis, & natura diuina in vno supposito diuino: ac proinde dicitur Deum esse equum, vel lapidem, & alia absurdiora, pro naturæ irrationalis assumptione abiectione, & vitilitate maiori. Respondetur admissa integra consequentia, in qua nemo doctus patitur scandalum, sed tamen ad pium, atque indoctum vulgus euulganda minimè sunt.

5 Dico tertio: Quæuis natura substantialis assumi potest à triplici Persona diuina, & etsi præexistat vnita hypostaticè pluribus alijs suppositis creatis Est conclusio contra Scotum in 3. q. 2. §. *Ad questionem* Ricard. q. 4. eam tamen docent Tertull. supra Alex. 3. p. q. 2. m. 4. S. Thom. q. 3. art. 6. cum suis. S. Bonau. in 3. d. 1. q. 1. & q. 3. circa fin. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 3. vbi OKam. Almain. & Capreol. art. 1. concl. 2. Durand. & Paludan. q. 3. Masl. q. 2. art. 3. Henric. quodlib. 6. q. 7. Vasq. d. 29. c. 2. Scot. d. 13. lect. 2. Becan. c. 4. q. 3. n. 2. Gasp. Hurtad. & vulgus Recentiores Probata est conclusio d. procem. q. 3. cert. 3. n. 4. vbi ostendimus plures, imò omnes substantiæ alienas in eadem substantiali natura non pugnare. Quid enim prohibet Deum naturam substantialem creatam producere dependentem in sui existentia ab vnione ad plura, vel omnia supposita creata, & diuina? Sed dices. Non implicat natura creata capax vnus solum substantiæ, quæ expleat ad quærat: ergo saltem repugnabit aliquam substantiam creatam saltem possibilem, & quis nouit an actualem apacem esse plurimum substantiarum simul. Respondeo in nostra opinione negante modos superadditos substantiæ nullam vim habere argumentum. Nihil enim de suo natura conferre debet, ut subsistat, quod vnà vel pluribus substantiis alienis exhauriatur, nisi forte vnionis modos ex ipsa educendos, quos

Quos si nequeat omnes passivè causare, poterunt aliqui creati à Deo sine eius passivo influxu. In opinione de modis superadditis substantiæ videtur maiorem vim habere argumentum, atque eandem tangere difficultatem cum illa: an materia prima plurimum formarum simul sit capax? Sed certè in substantiis alienis alia ab ea difficultas est: cum eas, ut habeat, non causet, sed solum unionem ad illas: quare nostra proxima solutione uti modales etiam poterunt.

6 Dico quartò. Natura substantialis creata in propria existens substantia nequit assumi ad unionem hypostaticam cum Deo, vel cum aliis suppositis. Ita Durand. Paludan. Caietan. Marsil. proximè. Soar. citatus sect. 1. Vasq. d. 33. c. 2. Becan. c. 4. q. 6. licet contra Scotum. Probata etiam à nobis est d. proœm. q. 3. cert. 3. quia, ut assumatur ad unionem hypostaticam cum alio supposito sine creato, siue increato, opus est in nostris principiis, ut detur illi existentiæ dependenti ab unione ad illud; ut autem in proprio supposito existat, opus est, ut detur illi existentiæ independenti ab unione ad aliud, quæ inter se contradictoriè pugnant, ut patet. Qui autem modos superaddidos substantiæ admittunt, ut Vasq. Suar. Becan. & Recentiores, conclusionem hanc probare non poterunt; nusquam enim contradictionem solidam substantiæ alienæ cum propria reperient.

7 Dico quintò. Plures naturæ creatæ assumi possunt ad unionem cum uno supposito siue diuino siue creato. De creato nullus disputat: imò modales nihil hac de re cum fundamento asserturi videntur, ut idcirco videantur quæstionem omittere. Sed intelligenda conclusio est de supposito creato, non qua suppositum est: ut sic enim formaliter dicitur negationem dependentiæ in sui existentiæ ab unione ad aliud, ut diximus d. proœm. q. 2. ad quam unio realis nequit terminari, ut ibidem q. 4. cert. 2. à n. 2. docebamur, quod ipsum de antecedentibus conclusionibus intellige. De supposito diuino nullus negat: imò verò affirmant. S. Thom. q. 3. art. 7. Bernal. d. 24. sect. 2. §. 1. n. 23. & sanè in quavis opinione de substantiæ faciem habet probationem: cum capacitas terminandi substantiæ diuinæ infinita sit, atque naturæ creatæ terminatiua etiam deprehendatur in unione hypostatica humanitatis ad Verbum. Sed tota conclusio probatur faciliè in nostris principiis. Quia nulla est repugnantia in eo, quod Deus decernat plurimum creatarum substantiarum existentiam dependentem ab unione cum uno supposito siue creato, siue increato. Sed dices tunc fore idiomatum communicationem inter creatæ diuersa: quia, si naturæ assumptæ ab una Persona diuina, vel creata essent humana, & equina posset dici homo, & hic homo est equus. Sed per idiomatum communicationem nihil est absurdum, ut controu. vl. d. de idiomatum communicatione ostendimus. Difficilius obici putat Bernal. contra suam, & nostram tertiam conclusionem ex eo, quod eadem natura assumeretur à triplici Persona diuina inferri posse Patrè esse Filium: cum hic homo esset Pater, & idem homo esset Filius: ergo Pater esset Filius. Id quod non minus absurdum reputat Bernal. d. 4. sect. 2. n. 22. Sed tamen, cum id solum haberet tunc humanitas assumpta per unionem, respectu trium Personarum, quod habet natura diuina per identitatem. Sicut negatur constanter à Patribus consequentia in simili expositorio Syllogismo. *Hic Deus est Pater, & hic Deus est Filius ergo Pater est Filius* quia, si nomen Deus accipitur substantiè in antecedenti (ut de se accipi debet, maxime, ut idem sit subiectum uti iulque præmissæ, veraque utraque sit) est terminus communis, in epruque syllogismo expositorio: quia, physicè, seu quasi physicè communis tribus Personis. Deitas est, sicut in calu præsentis humanitas est terminus, tribus etiam Personis physicè communis. Quod si utrobique Deum adiectiuè, seu denominatiue accipias, ut potest iuxta dicenda citata controu. vl. de diuersis Personis verificatur utraque præmissa: de eadem autem verificari non poterit: quare neque inferri potest consequentia: quia quatuor terminis constat syllogismus.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo uno & Trino.

8 Denique dicendum est eodem modo repugnare, vel non repugnare assumptionem naturæ substantialis creatæ ad unionem cum natura diuina, vel creata, quod diximus repugnare, vel non repugnare assumi ad unionem cum supposito creato, vel diuino. Imò verò de natura proprius, & formalis conclusio hæc procedit: siquidem de supposito formaliter, qua tali, si creatum sit, non posse assumere ad sui unionem naturam aliam, siue eius ad se unionem terminare dicebamus num. 7. De assumptione ad unionem cum natura diuina probatur ex doctrina Concil. Toletan. 6. & 11. in confess. fid. & Theologorum omnium, quos dabimus d. 2. q. 4. cert. 2. à num. 2. solum enim arguunt contra hæreticos asserentes unionem factam esse in natura diuina immediatè non in Persona & contra Doctores asserentes factam esse in natura, & Persona Filij, quod ex unione in natura tota Trinitas incarnata, passivè dicenda foret Triadopa schitarum errore: nemo autem Patrum aut scholasticorum repugnantiam ullam in eiusmodi unione aduersariis obiecit; certè, quia neque recognouit. Sed vniuersim de utraque natura creata, & increata probatur. Quia in eo, quod natura substantialis creata producatur dependentem in sui existentiæ ab unione ad naturam siue creatam siue increatam nulla est repugnantia: ergo assumi ad illam poterit. Dices: assumatur natura humana dependentem ab unione ad equinam, & hæc etiam dependentem ab unione ad humanam: neutra subsistet adhuc in alio in nostris principiis. Fateor ut docui d. proœm. q. 2. cert. 6. n. 4. sed ubi repugnantia, quod natura una creata, vel plures conferrentur sine substantiæ? Non, inquam, in nostris principiis, sed adhuc in modalium opinione?

CERTAMEN II.

Substantia partes, imò, & accidentia ad unionem cum Persona, vel natura diuina, aut creata assumi possunt.

1 Varius Noster d. 14. sect. 3. de solis formis substantiæ materialibus negat assumi posse ad unionem cum Persona diuina Alvarez d. 22. Becan. c. 5. q. 4. & Gaspar. Hurtado de omnibus partibus essentialibus materialibus negandum etiam censent. Vasquez d. 30. 32. & 39. Ragula. & Cabrera d. 4. de omnibus substantiæ partibus essentialibus, & integralibus ætherogenicis negant: omnes tamen fundamentis infirmis. Tota enim eorum in opinando varietas, atque in probando infirmitas ex nouiori illa sententia de modis per se ita, quibus suppositum constituunt omnino dimanat. Etenim, cum ea solum per se, & immediatè terminari posse substantiæ aliena admittant, quæ per se, & in ratione sui capacia sint substantiæ propriæ: atque effectum, quem subiecto substantiæ præstat aliter, atque aliter explicent, quin aliquis in eo assignando cum alio, vel cum veritate concordet, imò neque secum; cum nihil firmum assignet, neque in re præsentis non variare, eorumvè probationes consistere: circa accidentium assumptionem impossibile putant Bassolis in 3. d. 2. q. 1. §. *Ideo igitur* Maior, & Medina, Vasq. d. 30. c. 5. n. 19. Soar. d. 14. sect. 4. palacio, Gasp. Hurrad. Becan. c. 4. q. 5. licet hic probabile etiam iudicet oppositum, Bernal. d. 26. sect. 3. n. 25.

2 Dico primò: quævis pars substantiæ assumi potest ad unionem cum Persona diuina. De essentialibus constat in animo rationali, quem de facto in triduo unitum per se immediatè hypostaticè verbo mansisse dogmaticum est. Item de materia prima in triduo eodem unitatem per se immediatè verbo per se ueritate mihi plus est quam probabile. Neque enim verbum formæ cadaveris etiam unitum eo tempore fuisse dicendum est: nè quod semel assumptum sit verbum

M m dimiferit.

dimiserit. Secundo, ut d. 2. videbimus, non fuit vnitum verbum partibus essentialibus humanitatis mediate ratione vnionis suae ad totum, quin eatenus solum toti vnitum est, quatenus vnitum fuit partibus essentialibus ipsius. Quo argumento de partibus integralibus, siue homogeneis, siue aetherogeneis humanitatis eiusdem per se immediate solum, non autem ratione totius assumptas a verbo fuisse, quare & de aliis assumi potuisse facile deducitur. Deinde tam de his, quam de materia prima a paritate animi rationalis probatur. Quem idcirco assumi per se, & immediate potuisse ad vnionem cum verbo, aiunt, aduersarij, quia licet pars sit, est tamen a comparte, a quo nullatenus educitur independens: atqui materia prima tam est ab animo rationali, coeterisque formis independens, quam sit independens animus rationalis ab ipsa: item quaeuis pars integralis, siue homogenea, siue aetherogenea non educitur a comparte, nec ab ea causatiue dependet: ergo tam materia prima, quam partes aetherogeneae possunt assumi ad vnionem cum Persona diuina aequae, atque animus rationalis.

3 De formis, autem educibilibus probatur argumento, quod vniuersim de omnibus partibus conclusionem confirmet. Etenim dependentia vna a subiecto, vel aliter non opponitur contradictorie proximae, vel remotae dependentiae alteri a supposito alieno, vel ab vnione ad illud: ergo vtraque in eandem substantialem partem cadere optime potest. Denique de omnibus a priori probatur simul, semelque conclusio. Quia non est repugnantia in eo, quod Deus quamuis substantiae partem producat dependentem in sui existentia ab vnione ad suppositum diuinum, vel etiam creatum. Quod ipsum dictum pura de assumptione partium substantialium ad vnionem cum natura diuina, vel cum alia creata ut bene Bernal. d. 24. sect. 1. §. 3. alique innominati a Becan. cap. 4. q. 2. nec dissensuri videntur Thomistae, qui in humanitate Christi vnionem ad substantiam absolutam agnoscunt, ut illius existentia existat: id quod & natura diuina praestare potest. Scio tamen reclamare huic conclusioni Vasq. d. 27. c. 2. Soar. d. 13. sect. 1. addo tamen intelligi hoc de vnione cum substantia, non cum supposito creato, siue partiali, siue totali, vel ad plura supposito, vel naturas, siue partiales, siue totales, vel plarium ad vniam, vel vnum suppositum, iuxta dicta cert. 1. Neque video quid his conclusionibus incommodet, si bene teneantur, quae in similibus de postulatione assumptionis naturae totalis dicta a nobis sunt citato cert. 1.

4 Dices contra hanc conclusionem vnionis substantiae, siue partialis, siue totalis ad naturam, siue totalem, siue partialem: constanter Patres contra Eutychem vnionem humanitatis in natura, seu cum natura diuina asseruisse impossibilem: ergo tam conclusio haec, quam similis cert. 1. est contra Patres expressae. Respondeo facile Patres vnionis nomine intellexisse vnitatem, quam Eutyches eo etiam nomine intelligebat. Cuius error non fuit vnitatis permanisse per incarnationem duas naturas, humanam, & diuinam: sed ne argumenta Nestorij, quem cum Catholicis patribus impugnabat, cogeretur (si duplicem indiuiduam substantiam rationalem, humanam nempe & diuinam, in Christo recognosceret) duas in Christo Personas, humanam & diuinam admittere, vnam tantum naturam, vel confusione duarum, vel alterius in alteram controuersione, asserere, ut vidimus d. prooemiali q. 1. cert. 1. rursusque videbimus hic q. 2. cert. 1. Quo circa, si de vnione naturarum diuersarum contra Eutychem Patres loquerentur, contra ipsum non agerent, sed potius pro ipso. Ipse enim vnione confundi naturas aiebat, nec perseverasse distinctas. Ut ergo ipsius errori aduersarentur vnionem pro vnitatis usurparunt.

5 Dico secundo. Accidens assumi potest ad vnionem cum quauis Persona diuina. Est conclusio Marfil. in 3. d. 2. q. 1. art. 2. dubio incidenti concl. c. Almain.

q. 2. Gabr. dist. 1. q. 2. Alvarez & Valent. 3. p. q. 4. Idem dictum pura de accidentis vnione ad Personam creatam. Ratio est quia, non repugnat Produci accidens dependenter in sui existentia ab vnione ad suppositum quoduis. Insuper in modalium opinione accidentibus separatis modus etiam perfectitatis asfigitur. Quid ergo prohibet hunc suppleri per substantiam alienam? Sicut suppletur modus perfectitatis naturae humanae per Verbi substantiam. Hic enim, & improprio essentialis naturae creatae, & suppositi increati superatur; & qui se ipso modus est naturae diuinae essentialiter identice affixus, media vnione extraneam terminat entitatem. Quod autem nequeat cum accidenti substantia suppositum constituere, nihil infert. Sicut nec quod personalitas diuina nequeat cum substantia irrationali constituere Personam, repugnantiam asserit, quominus substantia irrationalis possit ad vnionem cum Persona diuina assumi. Item, quod non sit capax accidens substantiae propriae, non infert non futurum alienae, cum sit capax perfectitatis, quia substantia aliena suppletur. Neque tandem obesse fore idiomatum communicationem inter Deum, & accidens assumptum: ac proinde dicendam tunc Deum calidum, vel frigidum, nigrum vel album. Accidentales quippe denominationes, vel non cadunt nisi in subiectum inhaesionis proximum, vel remotum, vel, si cadunt, in vnione hypostatica verbi ad humanitatem admittenda eiusmodi denominationes erunt.



QVÆSTIO II.

Incarnationis Mysterium contra gentes euincitur.



AMETS I verbi Dei Filij incarnatione peculiare adeo diuinae sapientiae, potentiaeque Mysterium sit, ut nulla illud naturalis ratio euincere imò subodorari queat: uti ex his, quae de notitia Trinitatis, & de existentia humanitatis dependenter ab vnione ad verbum, d. prooem. & controu. de Trinit. d. 1. docebantur, facile patebit: tamen aliquid pro Incarnationis Mysterio omnibus monstrando in nostro hoc opere desideretur, nonnulla contra gentium idololatrarum caecitatem & locis illis, quae admitti ab ipsis debent, argumenta petenda a nobis pro illo euincendo hic erunt.

CERTAMEN I.

Ex libro primo Sybillinorum oraculorum expressa pro hoc Mysterio testimonia.

1 Sybillinorum oraculorum orpheo (ut aiunt Iul. Mart. apol. pro Christianis. 1. & Clem. Alex. in Protreptico) antiquiorum testimonia ad fidei nostrae mysteria ethnici probanda, quam magno vsui primis ecclesiae Doctoribus, & quasi parentibus (nimirum a Paulo edoctis, teste Clem. Alex. 6. Stromatum) fuisse, auctor nobis est Origenes, contra celsum, multaque eruditione probatur in apparatu ad annales ecclesiasticos, idcirco nascente Ecclesia idololatrae Christianos Sybillas per irrisionem vulgo compellebant. Caeterum cum Sybillarum testimonia oraculorum diuinorum loco, ac proinde inconcussa veritate, atque auctoritatis infallibilis multo ante Ecclesiae Christianae ortum ab ethnici habebantur, ut Cicero 2. de diuinat. illis verbis fateretur. Sybilla versus obseruatus, quos illa furentes fuisse dicitur: rideri ab eis illorum testimonium in Christianis vsus minime potuit, nisi & se ipsos ethnici riderent.